20744

1a
20740

b20052546 (1)
b20052844 (2)
b20052959 (3)
b20052972 (4)
b20053150 (5)

IN FVNERE

IO. VINCENTII HONDEDÆI

I. C. LONGE CLARISSIMI

ORATIO

A M. Antonio Bonciario Perusino habita
In templo S. Francisci v. Non. Mart. CIↃ IↃ CIII.

Ad Illustrissimum atque Excellentissimum
Siluestrum Aldobrandinum,
MAGNVM VRBIS PRIOREM, &c.

PERVSIÆ,
Typis Petri Iacobi Petrutij. CIↃ IↃ CIII.

Superiorum concessu.

DE IO. VINCENTIO HONDEDEO I. C. CELEBERRIMO

Comes Philippus Gabrielius.

ARebat Perusinus ager, Tyrrhenaq; circũ
Tellus, a Cælo cum pluit Vnda Dei:
Et postquam late Tuscos madefecit, & Vmbros,
Fineſq; hinc illinc fluxit ad Heſperios:
In Cælum reuocata, vndis immixta ſupernis,
Aeterno felix mergitur Oceano.
Sed prius Auguſto riuos ſub colle reliquit
Iuſſit & Auſonios vſq; rigare lares.
Vnda Dei felix, quæ ſic diffuſa per Orbem
Errat, vt ad patrios ſit reditura polos.

Paulus Sernardus Burgenſis.

DE HONDEDAEO I. C. ET BONCIARIO ORATORE.

Qui laudat, qui laudatur; præcellit vterque;
Omnibus iſte ſuis, omnibus ille ſuis.

IN FVNERE
Io. Vincentii Hondedæi
ORATIO

NVNQVAM ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, vsus semper aliquid apportet noui,
Aliquid moneat: vt illa, quæ te scire credas, nescias,
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

IBET enim mihi, Magnanimi Principes, Viri Auditores, eisdem versibus excusare susceptã a me prouinciam, & repetitum, longo interuallo, meum pristinum morem, laudandi publice illustres & claros viros; quibus excusat se apud populum Terentianus ille Demea, quod ab agresti, duraq; vita, continuo se ad vrbanitatem lenitatemque conuerterit. Videtur enim, eodem modo ignoscendum mihi esse, si, cum antea certo consilio decreuissem, haud amplius hanc dicendi aleam subire, sed intra domesticos parietes me continere, priuatisq; laboribus, quod reliquũ vitæ foret, transigere, in publicum non prodire; nunc extrusus precibus amicorum, atque adeo coactus imperio Præsidum, ac Superiorum meorum, ex illis tenebris, quas primo inuisas, postremo amabam, repente in hanc lucem claritatemque productus, imo sublatus in suggestum sum. ad agendum autem quid? Nempe ad consolandos, in magno luctu, populares, & ciues meos, leniendumq; dicendo eum dolorem, quem sentit Ciuitas vniuersa, propter ereptum sibi, alieniſſimo tempore, Io. Vincentium Hondedæum. Cuius interitus non modo nostram Vrbem, non

modo noſtram prouinciam, ſed ipſam (audeo dicere) Italiam, per omnes curias, & fora, & domicilia Iuriſprudentiæ, funeſtauit. Quam ego talem, tamque acerbam iacturam, Oratione propemodum extemporanea, & ſurrepta magnis occupationibus, neceſſe habeo conſolari: præclarus videlicet conſolator, & ad id præſtandum, quod hodie a me requiritur, vnus omnium egregie accommodatus. At ego, Aud. nihil vnquam ſum admiratus magis, quam potuiſſe amicis venire in mentem, petere conſolationem ab eo, qui ſit ipſe omnium conſolatione indigentiſſimus. ſiquidem illi dolorem, lacrymas, & luctum vellent; hæc nõ ab alio peterent, quam a me; conſolationes vero quales venire poterant, ab homine omnium erumnoſiſſimo? Sed illi, vt ego arbitror, hoc conſilium in me deligendo ſecuti ſunt: quia malum fuit inexpectatum, inopinatum, non ordinarium; voluerũt, ad ceteram acerbitatem hoc quoq; accedere nouitatis; vt præter naturæ ordinem, homo totus cladibus atque miſerijs coopertus, alieno dolori faceret medicinam: nempe vt caſus ex omni parte funeſtior, & inſignior redderetur. Agite ergo, quandoquidem tali conſolatore vtendum, in tanto luctu exiſtimarunt; reprimamus tantiſper dolorem noſtrum, dum huius clariſſimi viri meritis per compendium recenſendis, aliquod leuamentum communi ſolicitudini afferamus.

Ac ne per ſingula, quæ ſunt prope innumerabilia, vagari cogamur, continebo intra hos terminos orationem meam. vt ante aliquid de doctrina, deinde pluſcula de religione commemorem. dicam vero dupliciter de vtraque: nam in litteris oſtendam primo, quibus initijs ad tantam creuerit excellentiam, deinde quales ex ingenio doctrinaque fructus pepererit. diſſeram eodem modo de pietate; primo quam ſollicite, quam diligenter eam excoluerit; deinde quantam ex eo vtilitatem ac voluptatem, viuens moriens, reportarit. Quæ ſingula, non grandi, amplo, & exagge-

exaggerato genere dicendi, sed nuda, simplici, ac breui narratione comprehensa, spero vobis humanissimi A. non modo ad consolandum opportuna, sed etiam ad audiendum iucunda, & ad imitandum non inutilia visum iri. At enim de generis nobilitate, familiæque splendore nihil dicturi sumus? & contra consuetudinem laudantium, contra rhetorum placita, contra ius fasq; silebuntur a nobis viri clarissimi, qui ab annis amplius quadringentis (vt annaliū memoria est) longe principem in sua ciuitate locum obtinuerunt? Possum sane, si velim, A. in istum campum laxare orationem, & longum texere catalogum Hondedæorū; qui per Italiam omni tempore, litterarum atque armorum gloria claruerunt. In promptu est memorare, si libeat, quas cū familijs illustrissimis affinitates contraxerūt; quas de rebus grauissimis legationes ad Sūmos Principes obierunt; quas sæpe ciuitates modeste, prudenter, atq; feliciter administrarunt; quantum gratia, quantum auctoritate, quantum opibus, & apud suos, & apud exteros valuerunt. Sed non placet mihi, neq; par arbitror, ijs laudibus onerare Io. Vincentium, quas ille semper contempsit, & veram gloriam in vna virtute positam iudicauit. Quamobrem satis habeam profiteri, nos illis viris debere grandem & solidam gratiam, quod talem tantumq; hominem progenuerunt, nobisq; fruendum tradiderunt, qui nos nostramque patriam in perpetuum illustrauit.

Natus est igitur Io. Vincentius in vrbe Aquila, tertio nonas Iunij M D L. patrem habuit Petrum Paulum Hondedæum ab Eugubio, Sereniſſimorum Vrbini Ducū, Guidobaldi, & Franciſci Mariæ magnum Oeconomum; matrem Lauiniam Aquilanam, ex Francorum familia longe clariſſima; auum Bartholomæum, ſummæ auctoritatis virum; auiam Lucretiam Bentiuolam; auunculum vero Io. Andream, qui Catherinæ de Medicis Galliarum Reginæ, primum a poculis, deinde a ſecretis fuit. Cumque apud

paternos

paternos lares abunde illis artibus esset instructus, quibus nobilium puerorum ætas impertiri debet, hoc est non solum Grammatica, Rhetorica, Dialectica, sed etiam cantu, saltu, disco, ceterisque (vt ita dicam) pręludijs nobilitatis: Perusiam se contulit, ad Ius Ciuile percipiendum, anno ętatis septimodecimo: & Magistros nactus est peregregios, duo illa Italiæ lumina, Rinaldum Ridolfinum, & Io. Paulũ Lancelottum. Quibus ipsis, haud longo spatio temporis interposito, sic probatus est adolescens, tantumq; sub eorum disciplina progressum fecit, vt in maximis controuersijs, huic sæpe negotium darent, quæstionis indagandæ, atque in ordinem redigendæ, vt ad iudicem mitteretur: Informationes vulgo vocant: quibus ipsi perlectis, & dilaudatis, tantummodo subscribebant nomen, vt suo chirographo ratas facerent. Harum non nulla exempla, & a multis inspecta sunt, qui ad me detulerunt, & ab omnibus inspici possunt, conseruata. Hoc ego tale tantumq; testimonium, A. ad præstantiam hominis intelligendam, multo maius momentum habere arbitror, quam si referrem communia illa, & peruulgata, de publicis priuatisq; disputationibus, de institutis, & sæpe obitis academijs, de diurnis nocturnisq; studiorum exercitationibus. quæ quamquam eximia in hoc homine fuerunt, tamen quia vulgo omnibus tribuuntur, merentibus, non merentibus; iam minus minusque habent ponderis, ad insignem, & nouam laudem. Mihi vero decretum est, præterire silentio res vsitatas, licet magnificas, quarum neque nouitas admirationem, neque vtilitas æmulationem excitare possit audientibus. Hoc ergo alterum accipite pariter admirandum, pariter æmulandum, iuuenes honestissimi, bonarum artium candidati. Hondedæus ex quatuor & viginti diei horis, quotidie quaternidenas, aut quinidenas, sæpe plures, nunquam pauciores, non modo cum esset adolescens, sed etiam natu grandior, in studio litterario collocabat. Magnam prorsus ac

pene

pene incredibilem temporis parsimoniam! Excellebat ingenio, valebat memoria, pollebat iudicio quam qui maxime: tamen quasi tardus atq; hebes foret, duplo amplius laborabat in animo excolendo, quam in corpore curando; & bene emptam magnis laboribus, quamuis exiguam, doctrinæ accessionem putabat. Tanti erat sapere, & excellere super æquales. Audite vero festiuum facinus, quod ego nō semel ex ipso audiui, cum viri nobiles vna essent, quibus etiam aliunde comperta res fuerat. Per dies Geniales & voluptarios, quæ ille tempora, perdendis litteris introducta, & Musis inimica, pessime oderat: homo sui fruendi otij cupidissimus, vt effugeret interpellantium turbam, & æqualium communes lusus; obfirmato animo, sese in interiorē ædium partem retrudebat, & ad sodales excludēdos, mandabat domesticis, vt negarent se domi esse; dicerent, Eugubium esse profectum negotij causa, nec rediturum ad multos dies: si quid vellent ad eum scribere, curaturos se, vt litteræ perferrentur. Amici nihil suspicati, quotidie dare aliquid litterarum, rogare, instare, vt rediret. Ille vero a cubiculo Perusino rescribebat, Eugubij datas litteras: in quibus causari semper aliquid, quod reditum impediret: quandoque spem ostendere redeundi: negotijs interdum male precari, & fortunæ conuicium facere, quæ se retineret inuitum. Sic lepide frustrabatur amicos, vt negotium suum serio ageret; & ioculari commento, fructuosum sibi otium comparabat. Hoc loco non satis scio, A. vtrum magis admirer, solertiam ne adolescentis in hoc inuento excogitando, an constantiam in exequendo. fuit enim vtrumq; in illo ætatis flore peradmirabile. Quis non dico adolescens vt ille fuit, sed etiam maturioris ætatis vir, imperare sibi potuisset, vt, quæ tempora relaxandis animis, omnium consensu tributa sunt, in his maxime se oneraret fatigaretq;? quomodo autem non mouerunt, ephœbum adhuc iuuenem, nullo parentum imperio, nullo magistro-

rum

tum freno coërcitum, præter æqualium inuitamenta, etiam ioca, facetiæ, scurrilitates personatorũ, tota vrbe cum plausibus, atq; tripudijs discursantium? Quod si aduersus ineptias inuictum animum gereret, num etiam contemnere potuit Comœdorum Tragœdorumq; ingenuas voluptates, & viris etiam constantibus oblectamenta suauissima? Nimirum ille, A. cum ea voluptate, quam ex tractandis libris hauriebat, voluptatem nullam comparabat. O iam non dico temporis parsimoniam, sed auaritiam! quæ illum docuit, lucrandæ quietis causa, mendacium loqui, scribere, suadere; & furari Baccho tam multos dies, vt Musis daret.

Dixi de studiorum laboribus fortasse plura, quam oportebat: dicam pauciora de præmio, quod duplex fuit, fama & opes. Sed mitto narrare de opibus, quas ille vt non neglexit, prudens, & non indiligens Pater familias; ita non nimium augere studuit, & modesta suorum laborum mercede contentus, plurimas, easq; maximas diteſcendi occasiones repudiauit. de fama, vt honestius, ita cupidius laborabat. & adeptus est, vt meritis vix æqualem, ita omniũ opinione maiorem. Dux Vrbini, Dux Sabaudiæ, multi præterea Cardinales, & magni Principes, in maximis eisdemq; difficillimis controuersijs, huius opera vtebantur: & præter gratiam quam illi semper habebant, singularem atque eximiam, insignes ei titulos obtulerunt, & ad excelsos honorum gradus extollere cupiuerunt. Ex Cardinalibus, Saluiatus, & Cæsius, vt seniores clarioresque, ita maiore præditi auctoritate, Auditoratum ei Romanæ Rotæ a Gregorio Summo Pontifice destinauerant, feciſſentque omnino, si tantummodo vxoratus non fuisset. Quin etiam Beatissimo Patri ac D. N. Clementi VIII. idipsum venisse in mentem ex auctoribus fide dignis accepimus; eandemq; ob causam, non ob aliam esse retentum. Sed enim Reuerendissima illa Societas, licet Hondedæum recipere non potuerit; palam tamen voluit esse testatum, quale de tanti

hominis

hominis excellentia iudicium faceret: & quem honorem nulli viuentium habere solita est; vni habuit Hondedæo, vt eius auctoritatem sæpe adduceret in testimonium, eiusq; scripta tam edita, quam non edita citaret nominatim. Honesta hæc sunt, A. quæ Hondedæus ex acerrimis ingeniorum æstimatoribus consecutus est; sed illa honestiora, quæ grati de Patre liberi colloquuntur. Recte coniecistis, prudentissimi Iurisconsulti: recte: si satis audio murmurantium susurros a subsellio propinquiore. illa dico Consiliorum egregia volumina, de quibus hanc scio esse vestram sententiam, quam sæpe professi estis, Non viuere in præsentia, nec vixisse aliquot seculis in Italia, qui hoc genere conferri possit cum Hondedæo. Quod ego vestrum iudicium, sapientissimi Iuris interpretes, nimio pluris æstimandum reor, quam ceteram horum librorum felicitatem. Illi namq; primum auro emuntur a typographis ad diuulgandum, & emuntur non explorati, non lecti, non auditi, fama ipsa pretium conciliante, priusquam sciri posset, qualem fortunam essent habituri: deinde diuulgati Venetijs, parco dicere apud gnaros, ad quantam subito claritudinem peruenerunt: illud dico, quod fortasse non omnes sciunt, a typographis Transalpinis continuo esse recusos, & apud doctissimos Belgarum, haud minore in pretio esse, quam apud nostros. ego illos & ante legeram in publicis librorum indicibus, qui circunferuntur, & proxime audiui de hominibus eruditis, qui editos viderunt Francofurti. Vigent igitur, vigebuntque in omne æuum, & memores a quo vitam acceperunt, cum eo vitam suam communicabunt; nec patientur, cum ignorari a posteris, per quem ipsi ad posteros commigrarint. Quare viuit viuetque per suas vigilias Hondedęus, & ita viuet, vt clarior in memoria hominũ, & sermone futurus sit, postquã ab oculis recessit.

Sed ego, A. nimium diu per humana discurro: tempus est ad diuina transeundi, hoc est a litteris ad pietatem, a

corpore ad animum, a terra ad cœlum. Dicetis: Expedi ergo per compendium, vt cœpisti, si quid habes, non vulgariter, sed insigniter pium, & te quam primum dicendi molestia, nos audiendi tædio libera. Ita faciam, neque longius a studiorum tractatione discedam. Omissa igitur exquisita hominis diligentia in liberis educandis, moderatione in proximis corrigendis, fortitudine atque constantia in rebus arduis aggrediendis, atque ad exitum perducendis; præterea facilitate in excipiendo, benignitate in colloquendo, caritate in consulendo; postremo frugalitate in victu, pietate in cultu, ceterisque virtutibus christianis, quibus ille mirandum in modum floruit: legam aliquid ex magno numero perinsigne, quod vos putem libenter esse audituros. Habuit Io. Vincentius, inde vsque a primordio puerilis ætatis, hanc circa studia consuetudinem, quam perpetuo retinuit, vt numquam se neque ad legendum, neque ad scribendum, neque ad meditandum referret; quin antea flexis genibus, ante Christi Saluatoris imaginem, diuini Numinis auxilium imploraret. Qua propter cum illi singularem in modum Deus semper adfuerit, iam minus miranda erunt, A. quæ inter vos frequenti prædicatione, de illius simplicitate, innocentia, sapientia celebrantur. Quarum quidem virtutum hæc habeo argumenta, & documenta notissima, quod causas non nisi æquissimas ad tutandum susciperet; quod pecuniam a clientibus numquam poscceret, & oblatam, si exigua esset, cum silentio acciperet; si grandior, vltro redderet redundantem; quod in litibus decidendis, adeo non solum prudens, sed etiam felix esset, vt propemodum æqualem iniret gratiam, ab eo qui vinceret, ab eo qui perderet; denique quod sæpe iudex desideraretur, & poscceretur ab ea parte, contra quam lectus fuerat aduocatus. Quod attinet ad Christianam liberalitatem, hoc mihi, A. exploratissimum est, conuenisse illi cum intimis amico-

amicorum, qui causas in foro agunt, vt in quoscumq; inciderent miseros, proiectosque litigatores ne desererent, ne destituerent, sed eos sibi tuendos traderent. traditos vero non solum cõsilio,& aduocatione gratuita, sed etiam ope atq; pecunia iuuabat sua. O liberalitatis neq; vsitatũ, neque sæpe auditum genus! non modo remittere, quantum tibi debeatur, sed vltro auctum donatumque dimittere debitorem. bona pauperi fœneratio! in qua nec reddere cogitur, cui debet, & pro eo quod debet, pretium reportat; non reportaturus, nisi deberet. beatum es alienum! quod eum ditat, qui conflauit; ei molestum non est, qui deleuit. felix prorsus atque mirandum debitum, quod creditor soluit.

Enimuero A. vt ad præmia transeamus, quid illi profuit bene agere, pie viuere? quem ille tandem, aut probitatis, aut pietatis adeptus est fructum? Magnum (vt mihi quidem videtur) A. magnum, & eum duplicem, in vita, in morte. Tribus verbis de vtroque cognoscite; atq; statuite, si potestis, vtrum magis pius fuerit, an magis fortunatus. Perusiam cum venisset, adolescens, vt supra memorauimus, antequam in Iurisconsultorum numerum cooptaretur; ex nobilissima Montesperellorum familia vxorem duxit. felix, si vnquam aliud, optandumque coniugium! Nam & coniugum inter se amor, voluntasq; consentiens; ad hæc par nobilitas, gemina virtus, idem animus semper fuit: & proles secuta est, qualem vterque poterat optare, forma, indole, numero beata. Prouerbiũ est A. quod etiam per hominum imperitorum ora versatur, Calamitates numquam incedere solitarias. idem ego existimauerim ad felicitates posse transferri, quarum, cum semel cœpit, alia aliam sequitur, & proprijs interdum bonis laborare mortales cogunt. Hoc ego tantum animo cogitaui, vos etiam expertos puto. sed maxime omnium, exemplo id suo docuit Hondedæus, cuius domesticam fe-

licitatem, aliæ super alias incidentes, non excipere, sed obruere mihi videntur; forenses, vrbanæ, prouinciales. de quibus singulis memorare apud vos hodie, vel importunum esset, quia longum; vel superuacaneum esset, quia notum. cui enim vestrum audita, visa, comperta non sunt, quæ identidem ab illo, & quanto cum illius emolumento, quanta cum gratia, quanta cum gloria in omnes siue nostros, siue alienos officia veniebant? cateruatim ad eum senes, iuuenes; viduæ, pupilli; ciues, peregrini; noti, ignoti; nobiles pariter, atque ignobiles confluebant. & quia propter causarum multitudinem concurrentium, succurrere vnus omnibus non valebat, ideoque multas omittere cogebatur, opimas etiam ac pingues: non ferre homines opulenti, & nobiles hanc repulsam, sed assidue conari, vrgere, orare, sollicitare omnibus modis per amicos, per cognatos, per Superiores. domi habent fasces epistolarum, a Præsidibus vrbium, ab Archiepiscopis, a Cardinalibus alijsque magnis Principibus, & magnis Ducibus, nihil aliud poscentibus, quam vt cuipiam (honoris sui gratia) patrocinium non denegaret. ampla hæc hominis priuati felicitas fuit; sed illa non paulo amplior, certe illustrior atque celebrior, quod Ascanius Corneus, Princeps Excellentissimus, tanti hominem æstimauit, vt in Marchionatum, & populum imperio parentem suo, nihilo minus Hondedæo licere voluerit, quam sibi: adeo vt, inter cetera dominandi iura perpetua, etiam vitæ necisque tribuerit potestatem. Obsecro vos A. ornatissimi imo vos Principes Augustissimi qui vestra præsentia funus redditis, eadem opera luctuosius, & gloriosius, Quid ad hanc fortunæ indulgentiam, siue publicam, siue priuatam adiungi posse videbatur? tamen ne hoc quidem loco restitit, aut cursū inhibuit incitata felicitas. Tu Illustrissime atq; Excellētissime Princeps Aldobrandine, de quo penes se instituto, Perusina ciuitas æternum gloriabitur, tu videlicet illi

vnus deeras, ad cumulum absolutæ felicitatis. Vidit ergo Io. Vincentius Ludouicum, natu maiorem filium, ab Illustrissimo atque Sapientissimo Cardinali, auunculo tuo, non indignum esse habitum, qui tibi suum studium, suamque operam nauaret, ad Ius Ciuile perdiscendum. Vidit, & quidem multis atq; perspicuis argumentis, tuam erga illum minime vulgarem animi propensionem; illius erga te fidem, obsequium, diligentiam. Vnum non vidit, sed fortasse præuidit, quanto studio & caritate illum esses consolaturus de sua morte: hoc certe non semel testatus est; gaudere se, quod moriens, orbatæ familiæ talem tantumque relinqueret patronatum. Erant alia fauentis fortunę munera, quæ Io. Vincentio, dum viueret, contigerunt; sed vt stellæ, orto sole, diffugiunt; sic illa coram Siluestro prodire non audent, & erubescunt conspici, dona minora post maximum. Veniamus igitur, quo nemo non inuitus venit, ad mortem. In qua libitum est mihi turbare ordinē, & statim dicere, quod felicissimum ei fuerit, deinde quod felix minus. Agebat Io. Vincentius annum tertium & quinquagesimum, cum hoc lethali correptus est morbo, quem licet medici a principio non valde formidandū esse dicerent, putarentque: tamen ille differenda non censuit, quæ ad curationem interioris hominis pertinebant: & primum accersito animi medico, totius vitę noxas, continuata per triduum confessione, purgauit: deinde paulatim animo deficiente, sacris omnibus ab se iterum, iterumque petitis, & christiano ritu procuratis, cum eximia pietatis significatione, Deo se, suamque animam commendauit. Atque hoc est A. quod dico, ei contigisse felicissimum morienti. Sunt tamen aliæ, vt sic dixerim, aduenticiæ felicitates, quæ incredibilem in modum a mortalibus expetuntur, de quibus vnam sortitus est Hondedæus, maxime singularem, maxime optabilem, quam omnes homines sibi precantur, paucissimi consequūtur. Ecquam vero

arbitra-

arbitramini me dicere Auditores? An quod deceſſit in ſuo lectulo, plenus gloriæ, carus ſuis, iucundus exteris, inuiſus nemini? Eſt hoc magnum atque optabile, ſed meum maius, atque optabilius. An quia, facto inſigni teſtamento, rem ſuam familiarem ſapienter conſtituit, & ſeruos ancillaſque liberalibus donis eſt proſecutus? Hoc etiam laudabile, quia iuſtum, quia pium, quia rarum; nihil tamen ad noſtrum. An quod pompam funeris ablegauit, & ſe noctu efferri voluit, ſacco indutum, fune cinctum, nudis pedibus, nudo capite? Hoc quoque permagnum eſt religionis, & chriſtiani animi argumentum; ſed ad eam, de qua dico, felicitatem non pertinet. Fortaſſe quia nec raptus eſt adoleſcēs, quod acerbum; nec nimium ſenex, quod uietum, ſed medio fere ſpatio inter extrema, quod maturum optimumque cenſetur? Multo minus: quia iſtuc neque optabile eſt, neque vult quiſquam. meum vero nemo non vult; omnes optant, vouentque. Et vos tamen non diuinatis Auditores: recte ſcio, non diuinatis. At ego iterum confirmo, eſſe tale, vt ſi cui contingat, mors ei nequaquam horribilis uideatur. Exoluam uos, neque tenebo ſuſpenſos amplius, & ſimiles morientibus: Vſum dico rationis & orationis in multa corporis & animi tranquillitate, ad extremum uſque ſpiritum. Nam quid eſt queſo aliud, A. quod tantopere nos terret morituros, niſi quod expaueſcimus, ne cum longo, & duro cruciatu finiamus uitam? Verſantur enim nobis ante oculos exempla multorum, quibus, morte imminente, uultus efferatur, conduntur introrſum oculi, os fœdum in modum diſtorquetur, bracchia ſurſum uerſum iactantur, & totum corpus impatienter, huc illuc rapitur, & agitatur. Videmus alios in expirando totum biduum, aut triduum conſumere, cum interea unum uerbum exprimere non poſſint, & indicare ſaltem, quid cupiant, quid metuant, quid doleant. dira prorſus atque horrenda facies, non ſolum patienti-

tientibus, sed etiam intuentibus? Nimirum A. non mors est, quæ timetur: sed aditus accessusque ad mortem, hic timetur. da facilem breuemque hunc traiectum: sustulisti terrorem, & remouisti pene omnem mortis crudelitatem. Emori nolo (dicebat Epicarmus) sed me mortuum esse, nihili æstimo. Hac scilicet, vt ita dicam, infelicitate moriendi penitus caruit Hondedæus, qui quidem corpore composito, vultu placido, conuersis ad cœlum oculis, inter cognatorum manus colloquendo, & gratias agendo, quasi digrediens, animam Deo reddidit reposcenti. Quo auctus extremo beneficio, vt mihi quidem videtur, felicitatem totam impleuit. Quamobrem illius causa, gratulandum nobis est potius, quam dolendum. nostra est ratio durior, & iactura miserior: de qua dicerem, consolationem nullam inueniri, nisi animos nostros idem sanaret, qui vulnerauit. ipsum se nobis abstulit; sed alios ex se restituit: non plus vno adimitur, sed plus vno relinquitur: Patrem sentio cecidisse, sed filios video consurgere, & ad paternam gloriam, magnis animis, summis viribus, pari felicitate conspirare. Et quemadmodum agricola non magnopere solet dolere, cum perdit arborem, si habet ex illa surculos, vel arbuscolas, quas in matris locum sufficere possit, aliquando & matrem superaturas: ita moderate ferendum nobis est, quod vnum amisimus Hondedæum, qui plures ad solatium sui nobis reliquit, & ab se genitos, & sui simillimos Hondedæos.

Dixi.

Ad Ioannem, Vincentium, Hondedeum.

Gratia prænomen, tibi dat Victoria nomen,
Cognomenq́, Hominem te docet esse Dei.

PERVSIÆ,
Typis Petri Iacobi Petrutii.
M D CIII.

Superiorum conceſſu.